



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

22 Sortilegia extra corpus, quomodo fiant.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

haeret. in G. Abb. in dict. cap. 1. numer. 4. vers. & advertit, de sortileg. & Eymer. in Direct. Inquisit. quest. 42. numer. 2. & ita censuit sacra generalis congreg. S. Rom. & universalis inquisitionis, sub die 21. Decembris anni 1602.

- 17 Quamvis † enim per dictam constit. Sixti Papæ V. fuerit Inquisitoribus attributa iurisdicção cognoscendi de causis sortilegiorum, superstitionum, veneficiorum, & incantationum, etiam quòd aliàs de præmissis non cognosceret, ut supra numer. 29. non tamen fuit Ordinariis restricta facultas, quin liberè in causis huiusmodi, ut prius, dummodò non hæresim manifestè redoleant, procedere possint, cum id ex iuris communis dispensatione illis sit attributum, ex deductis per Abb. eodem num. 4. & Clar. in pract. crim. §. hæresis, nu. 23.
- 18 Divinatio † est prima species sortilegij, quæ inter cæteras obtinet principatum, in quam plures homines incidunt, ut per Gril. eodem tract. de sortileg. c. 2. num. 5.
- 19 Et quatuor sunt † species divinationum, sicut quatuor sunt elementa, quæ consistunt in hydromantia, pyromantia, geomantia, æromantia. Et aliqui ex dæmonum professoribus vocantur incantatores, quidam arioli, alij aruspices, alij augures, quidam phitonici, & mulieres, phytonissæ, alij genethliaci, quidam salitores, & alij magi, de quibus in cap. igitur genus, 26. quest. 4. cap. nec mirum, eodem quest. 5. & Gril. in dict. tractat. de sortileg. quest. 2. numer. 7.
- 20 In sortilegijs, † quæ fiunt per personas tacitæ dæmonis professionis, diversa

interveniunt instrumenta, & fiunt quandoque in aqua per hydromantiam: quandoque in igne per phytomantiam: interdum in terra per geomantiam: aliquando utuntur aère, & ea faciunt per æromantiam: quandoque illa faciunt ex inspectione intestinorum avium, animalium, aut per eorum voces, garrutum, occursum, & similia, ut habetur, in dict. cap. igitur genus, & cap. nec mirum. Hostiens. in sum. de sortileg. §. 2. & Gril. quest. 5. num. 2. eodem tit. & aliqui respiciunt in astrolabio, ut in cap. 1. ext. eodem tit.

21 Alia est species † sortilegiorum, quæ fiunt ad amorem, aut incorpore, vel extra corpus: in corpore enim communiter fieri solent, per cibum, vel potum, ut l. 3. §. hæc adjectio. ff. ad l. Corn. de sicca. l. si quis aliquid, §. qui abortionis, ff. de pæn. l. eorum, in princip. & l. multi. C. de malis. & mathem.

22 Extra corpus † autem, id est, extra intestina fiunt per aliquas mixturas, compositas ex herbarum folijs, vel radicibus, metallis, reptilibus terræ, avium plumis, vel membris, seu intestinis eorundem animalium, vel piscium, aliarumque similiarum rerum nostratum, illaque quandoque consuunt in chlamide personæ ad amorem maleficiandæ, vel sub capite lecti, super quo personæ ipsa dormit, abscondunt, aut sub limine ostij cameræ, aut alterius, super quo ipse maleficiandus vir, aut mulier transitur, sicut. Apponuntur etiam imagines cereæ juxta ignem ardentem completis dæmoniacis sacrificijs, de quibus supra, adhibitis nefariis precibus, & turpibus verbis, ut quemadmodum imago illa igne consumi-

sumitur, & liquefcit, eodem modo cor mulieris, amoris calore talis viri ferventer ardeat, & ut plurimum, admittis ecclesiarum sacramentis, sicut est hostia sacra, ut per gloss. in cap. accusatus, §. sanè, de heret. in 6. & aliis modis, ac rebus admittis de quibus per Gril. eodem tract. de sortileg. qu. 3. num. 11. & ferè per tot.

23 Maleficæ artes, † impedimenta, & infirmitates, ( exceptis factis cum aliquibus nodis, vel solutionibus, quæ reperta nodis con fractis, aut combinatione materiæ soluta de facto destruantur, & solvantur, ) scientia humana destrui non solent: nisi per ejusdem artis magistros, vel, qui sint diabolicæ professionis benè instructi, aut aliquo modo participes: quia maleficia ipsa absque ministerio, & suffragio dæmonis, tam rebus ipsis quàm verbis, communiter inferri non solent in corporibus, pariter, nec tolli: quoniam medicina naturalis, & omnium physicorum, & chirurgorum ars tota communiter non sufficeret ad sanandum corpora ipsa, & removendum dæmonis opera, sed solum per eosdem, qui sub eadem professione morantur, & qui maleficia ipsa facere solent, arte, & instructione dæmonis destrui, ac tolli possunt. S. Thom. in 2. 2. qu. 92. art. 6. & tenet Gril. eod. tract. de sortil. qu. 2. nu. 2. & 3.

24 Maleficiati † enim difficilius curantur, quàm energumanti, & à dæmone obsessi. Mal. malef. Spreng par. 2. quest. 2. capit. 6. vers. expedit lectorem. Omissis tamen diversitatibus opinionum, an licitum sit nec ne maleficia tollere per alia maleficia, &

opera supersticiosa, quas recenset, quamplura exempla deducendo Mal. malef. dist. par. 2. quest. 2. secunda par. princip.

† Non est licitum, uti magicis artibus, vel aliis quibuscunque superstitionibus à Deo, & Ecclesiâ prohibitis pro quocunque bono fine, nec permittendum maleficia maleficiis repelli, aut dispensandum quocunque casu, ut talibus licitè quis uti possit. Pegna in Direct. Inquisit. comm. 68. circ. fin.

† Nec sunt facienda mala, ut inde eveniant bona, ut inquit Apostolus, & contra dictos articulos profitentes, judicio Inquisitorum hæreticæ pravitatis subijciuntur, ut per eundem Pegnam ibi in fin.

† Sed ad Deum est recurrendum, qui omnia novit, & cujus oculis omnia subijciuntur, cap. fundamenta, §. proinde, de elect. in 6. & Navar. in relect. cap. novit. de ind. not. 1. nu. 1. tom. 2. & omnia potest, in cujus nomine dæmonia eijciuntur. Marc cap. ult. Nam licitis orationibus maleficia curantur, ut d. cap. 6. per tot. & flagel. dæmon. per tot.

† Ubi de modo Deo auctore fugandi dæmones à corporibus obsessis, & quomodo exorcista se debeat preparare satis diffusè habetur, ad quæ lectorem remississe sufficiat.

\* \* \*